



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Pastorale Missionariorvm

Verjuys, Jean-Baptiste

Antverpiæ, 1682

11. An Catholicus validè & licitè accipiat beneficium à patrono hæretico.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41565**

## ARTICULUS II.

*An Catholicus validè & licitè accipiat  
beneficium à Patrono  
hæretico.*

**Q**Uæstio ista dependet ab alia: scilicet  
utrum Patronus hæreticus perdidit per  
hæresim, & excommunicationem, jus patrona-  
tus, si enim perdidit, nullus superest locus  
quæstioni; invalidè enim confertur aliquid  
à non habente jus conferendi.

Certum est autem quòd hæreticus seu Ex-  
communicatus publicâ denuntiatione, non  
possit validè beneficium conferre, quia jus pa-  
tronatus eo ipso quo sic denuntiatus fuit, per-  
didit. Ita Navar. lib. 3. Conf. 1. de jure Patron.  
Et ex illo Sanchez Conf. mor. lib. 2. c. 3. dub. 51.  
n. 10. ubi multos juristas citat.

Dubium ergo solum est de hæreticis tole-  
ratis seu denuntiatis, an per extravag. *ad evi-  
tanda scandala* hoc ipsis permittatur, ut si ha-  
beant jus patronatus, istud retineant. Aliqui re-  
solvunt negativè, & quod tantum ipsis conce-  
datur ut exercent ea quæ ipsis competunt ra-  
tione publici officij, quod non invenitur in ju-  
re patronatus. Sic tenet Covarr. c. *Alma Mater*  
1. p. 6. 7. n. 9. & Henriq. de Excom.

Tenen-

Tenendum tamen est quod post emanationem extravag. jam toties citatæ hæreticus notorius ( non tamen denunciatus ) non perdat jus patronatus. Sic tenet Sanchez lib. 3. de Matrim. disp. 22. n. 31. Qui se fundat in eo quod Ecclesia ibi permittat communicationem cum excommunicatis toleratis, propter bonum commune, ne plurima inde oriantur scandala, multiq̄ue detectâ postea excommunicatione de suo statu dubitent, & sic timoratis conscientis non satis consuleretur. v. g. si hæreticus occultus contulisset beneficium tamquam patronus, & post longam possessionem innotesceret quod tempore collationis fuisset hæreticus, & consequenter perdidisset jus patronatus, fieret turbatio, & damnum aliis fidelibus quibus malis voluit Martinus V. providere. Dices: Quod per hoc quod hæreticis relinqueretur jus patronatus, Martinus V. favisset ipsis, jus quippe illud magnum est beneficium. Resp. Quod Pontifex indirectè tantum favorit hæreticis, propter bonum aliorum fidelium, quod directè intendebat.

Quo præsupposito, dicendum, quod hæreticus quantumvis notorius, non tamen publicè denunciatus, non perdat jus patronatus, quod ante hæresim habuerat, ac per consequens valida sit collatio beneficij quod in illo statu fuit collatum; dummodo accesserit collatio sive approbatio legitimi Ordinarij. Ita Lessius in opere

opere posth. V. Beneficium casu 6. Et patet ex dictis; nec opus est ulteriori probatione.

Requiritur tamen collatio seu approbatio legitimi Ordinarij, quia hoc etiam requiritur licet Patronus sit Catholicus, Cujus ratio est quia Patronus, maximè laicus, non habet facultatem conferendi jus in re, sive Dominium, sed tantum jus ad rem: per collationem autem seu institutionem ordinarij confertur jus in re. Unde qui aliter, scilicet ex vi solius collocationis Patroni laici, beneficium aliquod possederit, ejusque fructus perceperit aut velit percipere, censebitur intrusus, & sic inhabilis fiet ad idem beneficium, nisi in hoc dispensetur. Quod sæpe usui potest venire in locis ubi adhuc hæretici retinent sibi per hæreditatem jus patronatus aliquorum beneficiorum, quæ si ab ipsis alicui Catholico habili conferantur, ipse potest acceptare, si statim recurat pro institutione ad Ordinarium, si est, vel ad Nuncium Apostolicum in defectu Ordinarij.

---

## ARTICULUS XII.

*Vtrum liceat dare pretium Patrono Hæretico pro beneficio sine simonia.*

**C**Asus quæsti potest esse: multa sunt beneficia Ecclesiastica in confœderatis Provinciis,